



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Sedes Vacans.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

CÆLESTINI PAPÆ IV. VITA. 369

ANNO
CHRISTI
1177.

a dextris, Eboracensi vero a sinistris, perlectoque euangelio, Ego sum pastor bonus, dictisque collectis ad hoc pertinentibus, indictoque silentio, & turba comprimente castigata, dominus legatus sedendo, quasi tubam vocem suam exaltans, sermonem suum inchoauit, thema suum sic praeordinando. In medio sedis & in circuiitu eius quatuor animalia plena oculis ante & retro. In sermone prosequendo innuens, quod prelati, quasi animalia habentia oculos ante & retro, debent esse in rerum secularium dispositionibus prouidi, & in spiritualibus circumspicere, priora sequentibus caute continuantes. Et post sermonem legi fecit statuta alta voce & distincte qua firmiter statuit obseruari, qua subscripta in hoc libro duimus annotari. Hæc de Concilio Londinensi Paris.

Apo. 4.

VITA

CÆLESTINI PAPÆ IV.

ANNO
CHRISTI
1141.

CÆLESTINVS quartus, Mediolanensis, e familia nobili Castelionum, ex cardinale Sabino propter vitæ integritatem & raram eruditionem, Matthæo Paris & abbate Stadenfi duobus huius temporis scriptoribus attestantibus, ad pontificatum peruenit anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimoprimo, imperante Friderico secundo: senectute & ægritudine confectus, cum octodecim diebus tantum officio pontificali præfuisset, ex hac vita migravit. Cardinalibus vero aliquot per Fridericum in captiuitate detentis, sedes viginti fere mensibus vacauit. Nam in captiuorum cardinalium absentia ad noui pontificis electionem procedere, nec tutum, nec conueniens videbatur. Parisiensis Cælestinum in schismate electum fuisse scribit, utpote qui iuxta decretum Lateranensis Concilii duas tertias suffragiorum & votorum non habuisset. Abbas Stadenfis ait duobus schismaticis sese abdicantibus Cælestinum Gregorio legitime subrogatum quatuordecim diebus tantum sedisse.

SEDES VACANS.